

& Iesum stantem a dextris Dei, & ait: Ecce video Caelos apertos, & Filium stantem hominis a dextris Dei.

Versiones

CUM EXPOSITIONE XII.

256. Syriac. Arabic. Verf. 54. Valentem autem hac discabantur cordibus suis. Syriacus: Repleti sunt furore intra se, & fremebant.

Aethiop. Arabicus: Agreulerunt, & eorum corda acerbo dolore affecta sunt. Aethiopic. Incrassati cordibus. Ex Graeco legitur multi: Disserrabantur, pra furore, ira, ac indignatione, tamquam veluti ferra scindebantur; quia, ut notat D. Chrysofostomus, omni affectu volebant occidere Stephanum, & cum accusarent eum, ut blasphemum contra legem, videbant eum legem laudantem, ac extollentem tamquam ab Angelo datam, inde nulla erat causa ad ipsum accusandum, ac interficiendum, unde tamquam canes rabidi stridebant identibus in eum.

257. Syriac. Aethiop. Verf. 55. Cum esse plenus spiritu sancto Syriacus: Cum esset plenus fide, & spiritu sancto. Aethiopicus: Cum plenus esset spiritu sancto super Stephanum. Introducitur hic Stephanus cum nova gratia, novisque donis spiritus sancti, illiusque illapso daeum in tanta adversariorum contrarietate corroborandum. Intendens in Caelum Syriacus: Suscepit in Caelum. D. Gregor. Nissen: Intentus oculis in Caelum contuitus: terrena omnia ut vilia despiciens oculis animae, & corporis totus in Caelum ferebatur.

258. Vidit gloriam Dei, non Essentiam Divinam, ut aliqui dixerunt, sed quandam imaginem valde magnificentiam, ac augustam, & summo opere nitentem, quae quandam Dei speciem representabat, instar supremi regis vel iudicis iudicantis: Et Iesum stantem cum suo naturali, ac glorioso corpore, stabat tamquam dux pugnaturus cum suo milite Stephano, ut advocatus rogans pro eo ad Patrem, & tamquam Rex, aut quasi Agonothera, bravium caelestis gloriae ostendens, ac exhibens martyri suo in studio.

259. Ecce video Caelos apertos, vel ut multi volunt quafi quendam hiatus Caeli, & in eo Christum Dominum se visibiliter ostendentem, vel ut mihi probabilis est, ejus oculus per virtutem Dei supernaturalem, elevatus est, quasi omnes Caelos patentes penetravit, provectusque est usque ad Caelum Emphyreum, ibique ipsum vidit stantem a dextris Dei, seu, ut multi codices habent, a dextris virtutis Dei, hoc est stantem cum multa gloria, & majestate. De hac Caeli apertione dixi tom. 1. in Evangel. lib. 3. cap. 2. q. 15.

QUESTIO XXVIII.

Quare D. Stephanus, nec attendit in se, nec in suos persecutores, sed, ad solum in Caelum?

160. Magna consideratione dignam quod dicitur in textu Stephanus cum esset plenus spiritu sancto intendens in Caelum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem. Stephanus in Caelum intendens Iesum videt & contempletur, cur non etiam oculos in se converteret, cur etiam eos non coniecit in persecutores suos, sed omnibus his omisit totus est intendens in Caelum. Adverte ad id, quod immediate ante dicitur: Cum qui caelestis esset plenus spiritu sancto: Cum ergo totus a Divino spiritu ageretur, ac moveretur, totus rapiebatur ad caelestia dona, illarumque meditatione nil de corpore cogitabat, quod expositum erat suis inimicis, ut lapidibus illum confringerent, ac dirumperent. Pe-

trus Damianus serm. de S. Stephano ait: Simul signanter intellige consecutionem verborum; Plenus est spiritu sancto, & sic intendit in Caelum, quia, qui spiritus divinitatis afflantur concubitu terrestribus, caelestibus inhiant, & aeternis. Qui animum elevat ad Divina, temporalia contemnens fastidit, & solum caelestia quaerit.

261. Divus Ambrosius serm. in feria 5. post Pascha pulchram quaestionem excitat inter D. Stephanum, ac Magdalenam, nam ut scribit Ioan. 20. v. 11. Magdalenam stabat ad monumentum foris plorans; dum ergo fle-ret inclinavit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes. Inter Angelos stabat Magdalenam, & a lachrymis non poterat temperari, quia Iesum non inveniebat, nec videbat; At D. Stephanus stans inter crudelissimos, ac furibundos hostes, videt Iesum stantem a dextris. Stephanus inter frementes hostes tamquam Leones videt Iesum, & Magdalenam inter placidos, & festivos Angelos in albis Iesum non videt; Stephanus elevavit oculos in Caelum: Video Caelos apertos, & inde vidit Iesum, at Magdalenam oculos demisit ad sepulchri terram: Inclinavit, & prospexit in monumentum, & solus ille videt Iesum, qui terrenis dimissis spiritu fertur ad caelestia.

262. Ait Apostolus ad Coloss. 3. numero primo: Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt, quaerite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens: quae sursum sunt sapite, non quae super terram. Qui etiam cum Christo volunt vivificari, ut suae resurrectionis participes fiant, solum debent intendere, & quaerere quae caelestia sunt, & non terrena; sic ait Divus Ambrosius supra proxime citato loco: Ego non supra terram, nec in terra, nec secundum carnem Iesum quaerere debemus, si volumus invenire.

263. Cum Christus Dominus triumphali pompa ingrederetur Ierusalem acclamantes turbas occurrunt, Benedictus qui venit in nomine Domini Osanna in altissimis Matth. 21. n. 9. In excelsis, Marc. 11. n. 9. Si cum tanta gloria illi occurrunt ex civitate, cur eum non acclamant, ut Benedictum inter nos, vel in hac nostra Civitate, vel regno, sed in Altissimis, vel Excelsis, seu, ut explicat Lyranus: Salve salute excelsa, & aeterna. Cum ab spiritu Divino moverentur, ac age-rentur, ut explicavi suo loco tom. 4. in Evangel. cap. 40. nil de terrenis cogitant, sed tantum ad excelsa, altissima, & caelestia sublevantur.

QUESTIO XXIX.

Quare ait D. Stephanus, Video Caelos apertos cum alibi solum dicatur Caelum apertum?

264. Ait D. Stephanus in praesenti: Video Caelos apertos, & tamen Christus Dominus de seagens ait: Ioan. 1. n. 51. Videbitis Caelum apertum, & Angelos ascendentes, & descendentes super filium hominis, & scribens Christi baptismum D. Lucas 3. n. 21. ait: Iesus baptisatus, & orante apertum est Caelum, & descendit spiritus sanctus, & D. Marc. 16. n. 19. Dominus quidem Iesus assumptus est in Caelum, & sedet a dextris Dei. Et Psalm. 10. numer. 5. Dominus in Caelo sedes ejus, & Psalm. 102.

Psalm. 102. num. 19. Dominus in Caelo paravit sedem suam. Cum de Christo D. est sermo, dicitur Caelum, cum vero de servo D. Stephano Caeli.

265. Respondeo, quod cum Christus Dominus dicitur, ac sit declaratus in Baptismo; & vita sua, ac Ascensione verus Filius Dei, secum importat omnem magnificentiam, ac majestatem, quod in una pura Creatura, ut Stephano inter adversariorum exercitus tanta virtus, fortitudo, constantia, fides, claritasque resplenderent, tamquam quid novum, ac valde mirabile in mundo novo, ac quodam mirabili modo, fuit declaranda, ac honoranda, ut omnes Orbes caelestes patentes illi inservirent.

266. Secundo: Video Caelos apertos ad hoc refertur id, quod ait Origenes homil. 1. in Ezech. Aperti sunt Caeli; non sufficit unum Caelum aperiri, aperti sunt plurimi, ut descendat non ab uno, sed ab omnibus Caelis Angeli ad eum. Ad tam inclyti Martyris animam deferendam in Caelum non sufficit unus Angelus, sed veniunt omnes Angeli, ideoque aperti sunt omnes Caeli.

267. Tertio: in Christi Baptismo scribit Evangelista: Apertum est Caelum. D. Thom. 3. p. quaestione 39. art. 5. & ibi cum eo multi Theologi de visione imaginaria exponunt, ac si in imaginatione Caeli aperti viderentur. At Petrus Damianus serm. de Sancto Stephano existimat, quod ipse verè, & realiter viderit Caelos apertos, Christo Domino Caeli imaginatione aperitur, Stephano vero in realitate. Unde hoc cum Christus sit omnium supremus Dominus, Christus Iesus cum sit Deus: Hic est Filius meus dilectus, secum naturaliter habet omnem celestitudinem, ac sublimitatem; at quod in uno puro homine, ut Stephano tam praeclara virtus, ut magnum Orbis miraculum irradiaret; illuceret, novo etiam Caelorum miraculo fuit honoranda, ac condecoranda, ut caelestes Orbes natura sua incorruptibiles rumperentur, atque aperirentur: Huc pertinet id, quod ait D. August. serm. 37. de tempore in Appendice 19. Aperti sunt Caeli, ait; existimo; ut in caelestibus esset miraculum de his; quae gerebantur in terris.

268. In agone Divi Stephani omnia multis miraculis clarescunt, tam in naturalibus, quam in supernaturalibus: In naturalibus Caeli rumpuntur, moriente homine vox deficit; at Stephanus ad Christi similitudinem clamat voce magna: In tormentis membra laxantur, ac prosternantur in terram; Stephanus in ipso certamine generoso animo firmus stat, & ut Dominus suarum actionum flexis genibus orat. In supernaturalibus, ut ait Joannes 1. n. 18. Deum nemo vidit unquam, nempe in hac vita mortali, ut communis est sententia; at cum D. Stephanus ait: Video gloriam Dei, quod etiam Divinitatem viderit, multi affirmant, de quo quaestione sequenti, caelestem gloriam non videt, nisi post mortem; at Stephanus in hac vita ante obitum D. Marcus agens de Christi Ascensione, ait de Christo Domino: Assumptus est in Caelum, & sedet a dextris Dei. D. Stephanus ait hoc; ut multi codices habent; Video, & Filium hominis a dextris virtutis Dei; quia in Stephano tam generose patiente ipsa virtus Divina multis mirabilibus; ac signis se se ostentabat, ac manifestabat. Emiffenus in festivitate Sancti Stephani ait: Tuba Stephanus sonabat, quando incredulos Judaeos arguebat, & predicabat: Lampadem manu tenebat, cum prodigia, & signa magna faciebat. Alludit ad lampades Gedeonis Judic. 7. n. 16. ac proinde lapides in Stephano erant veluti lampades ad eum illustrandum in multis magnalibus, & mirabilibus. Tandem nota, Quod huius suo pretioso sanguine, ac Cruce tamquam lave regia aperuit Caelum, Stephanus

suis lapidibus, tamquam vocibus sublimis sonantibus apertum publicavit.

QUESTIO XXX.

Quare D. Stephanus de se testatur, quod viderit gloriam Dei, & quomodo viderit?

269. Aliqui apud Lyranum testantur, quod D. Stephanus viderit Essentiam Divinam, quibus favent D. Gregorius Nissenus orat. de Sancto Stephano cum ait: Eum vidisse ipsum lumen de lumine Dei plena mentis comprehensione, atque Deum, & Trinitatem; & similiter D. August. serm. 96. scribit: Eum vidisse revelata facie Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; & serm. 99. ait: Vidisse Deum, ac Trinitatem ipsam, & Divinitatem. Et etiam favent Divus Hilarius Arelaten. Petrus Damianus, & alii D. Hilarius serm. de Sancto Stephano, atque jam ostendi ad illa verba: Deum nemo vidit unquam. Joan. 1. num. 18. talem visionem nemini concessam fuisse in hac vita. Aliqui, ut Carthusianus, hoc referunt ad visionem imaginariam.

270. Dicendum tamen existimo cum Caietano, ut jam dixi in Expositione, quod Beatus Stephanus videret quandam imaginem corporalem multa majestate valde magnificentiam, multo fulgore, ac claritate resplendentem, quae Dei gloriam representabat, sic dicitur de Moyse Exod. 24. numer. 17. Erat autem species gloria Domini, quasi ignis ardens, Et idem habetur Numer. 14. num. 10. & 3. Reg. 8. num. 18.

271. Quaestio tamen principaliter inquit; cur hic tanta Dei gloria Stephano est manifestata? Primo eleganter respondet Divus Hilarius Arelaten. serm. de Sancto Stephano, ubi sic ait: Ecce video Caelos apertos, & gloriam Dei. Juste incunctanter offert sanguinem suum, qui pra oculis habebat regem suum simul, & bravium suum, & Filium hominis a dextris virtutis Dei. Vides quod expectantis in unius armis constantiam triumphantis? Digne patentibus Caeli portis comparatur Caelum, & bella suadem. Et pondera ultima verba Bella suadem. Confidera ordinem rerum. Videt Stephanus Dei gloriam, quid inde sequitur, statim extrahitur, ut lapidibus opprimatur. Dei apparitio, ac ostentatio in hac vita, non vocat ad quietem, ac requiem, sed ad certamina, ac bella: Bella suadem. Sua praesentia, ac praemia ostentos armat milites, & fortes, ac alacres facit. Apparet Deus Abrahamo Genes. 12. numer. 1. Exi de terra tua, & de cognatione tua, ad laboriosam peregrinationem eum vocat.

272. Secundo Petrus Damianus serm. de Sancto Stephano ait: Intendit in Caelum, & vidit jam non Caelum, sed Caelos apertos, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem a dextris virtutis Dei. Mover me hac intentio, quae de cordis puritate refusa, vim facit Caelis, & ad ipsum Divinitatis consistorium penetrat, & attingit. Caeli aperuntur, gloria Dei videtur, Iesus conspicitur; hanc intentionem fecerat dilectus Dei, amor proximi. Unde intuitus Stephani tam fortis, ac efficax extitit, ut non unum Caelum, sed Caelos penetraret, ut usque ad ipsam Dei gloriam, & usque ad ipsum unigenitum Dei Filium Christum Iesum intueretur elevaretur. Unde illi tanta perspicacia? Eius eximia charitas, ut pro inimicis exoraret: Ne staret illis hoc peccatum, visum acuebat, ut omnia illi pateherent, omnia penetraret, usque ad ipsum Dei thronum; tam illustris intentio animi valde illustrè reddit intentionem oculorum, ut omnia percerneret. Huc veniat Emiffenus datus in

fine superioris quæstionis, qui asserit lapides Stephani fuisse tamquam lampades Gedeonis ad illustrandam, illuminandamque ejus mentem.

273. Cantic. 3. Caritas lucerna. Dicitur Canticorum 3. n. 6. Fortis est, ut mors dilectio; dura sicut Infernus amulatio: lampades ejus, lampades ignis, atque flammæ, ecce charitas in proximos habet lampades flammæ, quæ sunt tamquam lucernæ ardentissimæ, quæ illuminant ad omnia excelsa, ac divina penetranda. Ita habent tres Patres apud Delrio, quæ illustrat in luce veritatis mentem, atque ignorantia tenebras discutit.

Tres Patres. 274. D. Cyril. Hier. Cum lumine Divini Spiritus omnia penetrantur. Tertio D. Cyrillus Hierosolymit. Catech. 17. ait: Video Cælos apertos & filium hominis stantem ad dexteram Patris. Vidit autem non sua virtute, sed, ut inquit, Scriptura, cum esset plenus Spiritu Sancto, suspiciens Cælum vidit gloriam Dei, &c. Unde tam acuti ac perspicaces fuerunt oculi Stephani, ut omnia pervaderent usque ad solium æterni Patris: Unde illi tantus intuitus? rationem indicat Scriptura: Cum esset plenus Spiritu sancto. Ex eo quod erat in eo Spiritus, ac ejus efficacis luce illustratus, ac illuminatus, ut suis oculis secreta, & alta divina penetraret.

275. Lux Spiritus sancti in Stephano super alios. Ex effectu cognoscitur causa, de nullo altero sancto legitur simile efflatum, ut de B. Stephano dicente: Video Cælos apertos, & gloriam Dei, & filium hominis stantem à dextris Dei: quod totum proveniebat à plenitudine Divini Spiritus, quæ erant impingentibus, proindeque cum talis effectus visionis existerit superabundans super omnes alios, excepta Sanctissima Virgine Maria, inde ejus ampla plenitudo Spiritus Sancti superexcelluit super cæteros alios. Petrus Damianus ferm. 8. Sancti Stephani ait: Quod si corporalibus oculis inspexit, certum est hunc omne hominum genus disparitate gloria prævolasse, pennis fidei, & virtutum, incorporea corporeis, est non comprehendisse, apprehendisse tamen luminibus. Expende verba: Omne hominum genus disparitate gloria prævolasse.

QUESTIO XXXI.

Quare D. Stephanus ante certamen absolutum, & mortem gustatam gaudet supremo felicitatis præmio?

276. Aliis post mille passos labores, postque multas antelatas ærumnas transeuntibus per ignem, & aquam, datur in magnum præmium, quo nulum majus est, videre gloriam Dei, & Christum stantem ad dexteram Patris; Cur ergo Stephanus ante pugnam absolutam, & in ipso conflictu gaudet felicitatis præmio.

277. Emilsen. Maxime notandum id, quod scribit Eusebius Emilsenus homil. de Sancto Stephano, ubi ait: Video quantum agat in pectoribus servorum suorum Divina charitatis ardor, quod sperabatur desiderium; oculis demonstratur; Nec dum explet famulus ministerium suum, & jam Dominus aperit regnum suum. Nondum servus cursum suum absolvet, & jam sui triumphi coronam contemplantur, præ oculis habet quod totis viribus, omnique affectu exoptabat, quod totum ad charitatem, ac ad amorem Dei, & proximi in Stephano refert citatus Emilsenus, dicens: Vidi quantum agat in pectoribus servorum suorum charitatis Divina ardor, & proximi.

278. Valde notum est in toto Canticorum libro quam ferventer Anima Sancta per vicos, & plateas, & inter Custodes Civitatis quærat suum dilectum

Christum Jesum, & per adolescentulas, ac Sodales diligenter exquirat, & investigetur, ubi eam invenire valeat, & cum in tam sedula, ac diligenti perquisitione versetur, statim dicitur: Ecce iste venit saliens in montibus, transiens colles, similis est dilectus meus Caprea hinnuloque cervorum. Cantic. 2. numer. 8. quæ verba eleganter expendit D. Ambrosius ferm. 6. in Psalm. 118. in nomine sponsæ sic loquens: Ecce iste adveniit saliens super montes, adhuc ego eum quæro, ille jam venit, ad huc ego suffragia capto, & ipse jam proximus est: Ego suscitari mihi charitatem cupio, ad me plus charitatis ipse festinat? Maxime charitate inclinatur, & allicitur Christus, ut nostros affectus præveniat: Anima Sancta quærat antequam suum cursum terminet, & ille jam venit ille vehementer desidero: Jam ille proximus est: Si ego multo charitatis fervore exopto, ad me plus charitatis ipse festinat, sic Deus tantopere anteverit suæ dilectissimæ animæ affectus.

279. Dicant etiam quod D. Stephanus tam purus, ac sanctus omnique justitia, ac virtute resplendens, omnique gratia plenus, adhuc degens in terris, ac si quodammodo jam esset Beatus in Cælo, & ideo cum adhuc in hoc mortali corpore detineretur, jam jure Beatorum gaudet; Video (ait) gloriam Dei, & Jesum stantem à dextris Dei, in quo tota nostra felicitas sita est.

280. Omnes, qui erant in Concilio viderunt faciem Stephani tamquam faciem Angeli Actor. 6. nu. 15. Circa quæ verba ait D. Gregorius Nilsenus orat. de Sancto Stephano: Angelicum decorem, & mutationem faciei in Angelicum formatam habuisse, Tertullianus lib. de Resurrect. cap. 5; ait: Stephanum instar Christi in Transfiguratione Angelicum fastidium induisse, de quo late dixi citato cap. 6. quæstione 14. Atqui Christus in Transfiguratione resplenduit corporis gloriosi dotibus, simili, glorificatione Stephani facies radiabat, ut inter mortales degens jam Beatorum dono conspicuus appareret, qui sic vivebat in corpore, ac si esset extra illud, & totus in Cælestibus, ac divinis versabatur; nam, ut ait Beda, Stephanus: Advena in terra D. Fulgentibus Corpore in terra, spiritu totus in Cælo.

QUESTIO XXXII.

Quare D. Stephanus primo dicit Jesum, deinde secundo Filium hominis?

281. Duplici nomine hic D. Stephanus Christum nominat. Primo, Video Jesum. Secundo Video Filium hominis, ut omnibus nominibus, quibus Christus Dominus nominabatur, & erat cognitus, ejus gloriam publicaret; nam, ut notat D. Maximus ferm. de S. Stephano, Judæi fortiter negabant Christi resurrectionem, ut multoties supra sæpe diximus; inde D. Stephanus generosè, ac alta voce eum dicit, ac acclamat vivum, resuscitatum, gloriosum, ac regnantem in Cælo, quo duriores lapides mittebat in Judæos, quam ipsi Judæi in Stephanum.

282. Dicit Jesum, & filium hominis, ut ait citatus S. Maximus: Plus honoris Domino delaturus videretur, si Dei potius, quam hominis Filius diceretur, Primo eum vocat Jesum, ut ipso sanctissimo nomine pronuntiatio maxime esset armatus, & corroboratus ad certamen, & pugnam. Secundo, quia Divus Stephanus in suo sermone loquutus est de Patribus, ac aliis, nunc verò incipit de se agere, ac proinde à nomine Jesu exordium facit. Tertio eum nomen Jesu sit nomen Salvatoris, maxime de eo gloriatur Christus,

Christus, & maxime Iesus dicitur in præsentem, quia apparebat, ut subveniret Stephano.

283. Jesum imitatur. Quarto Iesum dicit; quia eum maxime habebat præ oculis, ut ipsum imitaretur, ut sequeretur orans pro inimicis, sic ait D. Prosper lib. 2. de vita Contemplativa cap. 2. Quid est Christum sequi nisi præstare beneficia etiam ingratas, non revivere secundum sua mala vobis, & orare pro inimicis.

284. Beda. Mortis Christi considerata mors nostra suavis. Filium hominis dicit, in quo denotatur quod Filius Virginis Mariæ sit, de quo ipse Dominus tamquam de sui magno splendore multum gloriatur. Secundo, quia ipse in supremo gloriæ throno se Filiū hominis agnoscit, ut hominibus miseretur. Tertio Beda in præsentem ait: Ne immoxius homo lapidatus itubaret in terra Deus homo crucifixus patet coronatus in Cælo. Filius hominis cum suorum vulnerum sanguis ostenditur, ad præsentiam signorum mortis Christi, ac ejus Crucifixionis, omnis mors est levis, & suavis, omnis cruciatus dulciter præferendus, cum hæc omnia in coronam, & triumphum absolvantur.

285. I. Cor. 13. Ait Apostolus 1. Cor. 13. n. 4. Absorpta est mors in victoria. Mors etsi ex se sit horribilis, & tremenda, interveniente jam Christi morte, & apparente, jam non est formidolosa, eum tota sit transmutata in gloriosam victoriam, ac magnificum triumphum. D. Athanas. homil. de Incarnat. ait: Homo certe naturaliter morietur, & corporis sui desolationem expavescit, is tamen ubi indutus est finem Crucis, res naturales vilipendit, & mortem per Christum non exhorrescit. Imo ipsum pati pro Christo pro gloria, & honore habet.

286. Plal 140. D. Aug. In persona Christi ait Regius Vates: Singulariter sum ego donec transeam. Psalm. 140. n. 10. Ibi eleganter D. August. ait: Quid est singularis? In passione tu solus pateris, tu solus occideris, ab inimicis, singularis ergo, sed quid est donec transeam, nisi de hoc mundo ad Patrem: Tunc enim confirmavi columnas ejus, id est columnas terræ, quando in me didicerunt mortem non esse timendam: donec ergo transeam singularis sum; cum transero; multiplicabor, multi me imitabuntur, multi patientur pro nomine meo. Antequam Christus crucem subiret, solus ille in mortis agone erat, at postquam sanguine laureatus apparuit, jam non est solus, sed multis Martyrum millionibus concomitatur, qui tamquam Columbae ad fenestras suas ad Crucem, ignem, & gladium ejus amore convolarunt.

QUESTIO XXXIII.

Quare D. Stephanus vidit Jesum non sedentem, sed stantem à dextris Dei?

287. Ait D. Stephanus: Video Jesum stantem à dextris Dei. Dicitur ad dexteram pro valde magnifico, & honorifico loco; multi Codices habent. A dextris virtutis Dei; quia Divina virtus maxime se ostentavit, ac declaravit cum D. Stephano in hoc suo Martyrio, & ut notat D. August. ferm. 98. de Diversis, notat quod Christus D. hic apparuit cum multa militia cælesti Angelorum stipatus.

288. Pater videtur stans. Nilsen. Damian. Dicitur quod Christus stabat à dextris Dei, scilicet Patris, qualiter ipse Pater tunc apparet, stans, vel sedens. Textus non exprimit, D. Gregor. Nilsenus orat. de Stephano ait: Quod si qui obijerunt, quod filius stabat, ostendat hoc loco, quod Pater sedebat. Petrus Damian. statim citandus ait: Quod Christus cum Patre stante stabat. Tota Trinitas erat valde propensa, & sollicita in adjutorium Stephani, Pater, & Filius stantes, & Spiritus sanctus habitans in eo;

dicitur hic Christus stans, cum Marc. 16. & in simbolo haberet sedere ad dexteram Patris.

289. Primo stans apparet Christus, ut Sacerdos, (qui stans sacrificabat Levitic. 16. n. 17.) offerens suo æterno Parenti illud magnificum sacrificium mortis, & sanguinis Stephani. Secundo stabat tamquam optimus Princeps, & Dux, ut cum suo milite, ac servo pugnaret Petrus Damianus ferm. de S. Stephano ait: Christus cum Patre stante stabat, & cum bellante bellabat, nec minor illo erat. Expende ultima verba, cum staret; ut cum suo milite pugnante illi opem ferret, in hoc ostendebatur non minor Patre sed illi æqualis, cum magnum elogium Divinitatis sit laborantibus subvenire.

290. Tertio stat Christus tamquam valde promptus ut si in opem, & adjutorium suo Martyri, simulque illi coronam triumphi præster. D. Ambrosius epist. ad Vercellensem. 25; vel 82. ait: Dicitur Christum stante, ut sollicitus juvenet Athletam, quam paratus coronaret. Imo D. Hieronymus in Psalm. 34. ait: Quid fortius, quid pulchrius, quam Christum armatum stare pro suis Sanctis, sicut Beatus Stephanus vidit, quando dixit: Video Jesum stantem, id est tamquam pro suo milite armatum.

291. Quarto stat Christus tamquam advocatus ad Patrem, & maxime compatiens de doloribus, ac vulneribus sui Martyris, D. Gregor. lib. 1. Moral. cap. 1. & lib. 1. Reg. ait: Patienter Stephano Christus stabat, quoniam stare ejus compatiens est.

292. Quinto olim judices stantes judicabant, unde dicitur in Psalm. 81. n. 1. Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem deos diducabat. Apparet Deus Stephano tamquam iudex, ut ei debitam coronam pro suo inelyro martyrio reddat, & suis tortoribus, ac carnificibus poenas debitas infligat.

293. Sexto Christus D. qui pro sua majestate sedebat ad dexteram Patris, surgens stat ad videndum cum magno gaudio magnificum speculum in Martyre. Petrus Damian. citato ferm. ait: Curramus ad spectaculum, ad quod currit, qui exultat ad currentem viam, & videamus quibus armis armatus vexillifer Martyrum in campum descendit. Ex more humano loquamur. Cum se oculis offert aliquod magnum, novum spectaculum præ gaudio, ac desiderio videndi, solemus surgere: Cum tam magnum, eximiumque spectaculum in forti Athletæ divinis oculis præsentaretur, quum præ gaudio, & lætitia significanda Christus D. non sedens, sed stans introducit: Curramus ad spectaculum, ad quod currit, qui exultat, &c.

294. Cum tres pueri essent in fornace, ad hos videndos accedit Rex, & ait: Video quatuor viros solutos, ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis est in eis; & species quarti similis Filio Dei. Daniel. 3. n. 92. & qualiter Filius Dei ad tantum spectaculum venit, canens explicat Prudentius in Apoth.

Nempe, ait, o Proceres, tres vastæ incendia anbelis suscipere viros fornacibus, additis unus Ecce vaporiferos videns interfecat ignes Filius ille Dei est, &c.

Expende verba: Videns interfecat. Videns nempe D. Filius suorum servorum generositatem in tanto luctamine, gaudio, ac risu perfusus; sic apparet Stephani fortitudine, Christus eum ingenti lætitia, ad tantum spectaculum videndum, veluti currentis stabat: Curramus ad spectaculum, ad quod currit, qui exultat, &c.

295. Septimo stat Christus, ut cum eximio gaudio, ac honorificentia coronet, ac excipiat Stephanum. Loquens Christus de judicio finali, ait: Cum venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, Matth. 25.